



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Athanasi Kircheri Fuldensis Bvchonii E Soc. Iesv.  
Prodromvs Coptvs Sive Aegyptiacvs**

**Kircher, Athanasius**

**Romae, 1636**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12784**

## AD LECTOREM.

**C**um omnem AEgyptiacam antiquitatem instaurandi nobis sit animus; certè ipsius argumenti difficultas suadere videbatur, ut ab ea re, quæ totius antiquitatis veluti clavis erat, ab ipsa, inquam, veterum AEgyptiorum vernacula antiqua, quam Coptam, seu Pharaonicam appellamus, totius operis auspicarem exordium. Huius enim, quam ingens in omni facultate, arte, & scientia sit usus; quantum non ad profane tantum, sed & sacræ literaturæ cultum, verbo, ad omnem eruditionem antiquitatemque eruderandam conferat, et si Prodromus iste varijs in locis id abunde & variè doceat; Oedipum tamen AEgyptiacum varia sua eruditione, quam huius ope eruit, id non clarius tantum & abundantius demonstratur; sed & id quoq; apud reconditionis literaturæ Amantes effecturum spero, ut hanc recens Europæ natam linguâ non aestiment tantum sed & omne quoq; studium industriamq; ad eam addiscendâ conferat, ad quod maiori facilitate præstandum, dictæ linguae institutiones in fine operis huius adnectere volui, ut interim sese in eis exerceret Lectio, & ad futura intelligenda aptiorem redderet capacioremque. Non aliam ob causam totius Oedipi quoque AEgyptiaci Ideam ijs apposuimus, nisi vt quantum ex vtriusque literaturæ restituzione Reip: literariae emolumen-  
tum sperari possit Lectori innotesceret. Certè norunt id amici, quibus abdita eius vel per rimas quasdam ostendi, qui nouitate rerum commoti, cum alia ratione nequirent, certam id encomiasticis metris Prodromo præponendis extolle-  
re sat agebant. Verum, ne laudibus acceptis hominum diuino fauori obicem ponerem, neue huiusmodi solatiola audiūs

am-

Ad Lectorem.

ambisse, aut etiam ante victoriā triumphos egisse viderer,  
eorum benevolentia laudata, ea qua par erat modis ita recu-  
savi; exceptis eorum Eulogij, qui non tam Encomiastæ,  
quam rerum variarū Testes erant futuri, approbatoresq;  
Nam cum hic præsens liber, Oedipi operis omnino noui, rari,  
difficilis, & argumenti multorum opinione incredibilis, sit  
Prodromus; cùm pleraque præterea, è reconditis inuisisque  
Orientalium monumentis deprompta Europæos linguarum  
cognitione substitutos omnino lateant, adeoque multi forsan  
in rebus adeò nouis de fide mea dubitare, aut de impostura  
& falso aliquo suspicari possent. Ut in re magni momenti  
maiori ingenuitate, fide & sinceritate procederem, simulque  
monstrarem linguarum, quas in operibus passim ad rerum  
dictarum confirmationem adducturus sum, me diuina gra-  
tia haudignarū: istius testes admittere volui, ipsos Græcos,  
Hebræos, Syros, Chaldaeos, Arabes, Armenos, AEthio-  
pes, Abyssinos, Samaritanos, aliosque quibus mea literaria  
supplex nota est, qui que mea omnia lustrarunt, reuiderunt.  
qui que susceptum opus consilio auxilioque nullo non tempore  
de proprijs suis aliqua communicantes pro viribus pro-  
mouere contendunt. Atque hæc sunt benebole Lectori, de qui-  
bus te primò monitum volebam; quod si in ijs quicquam  
laude dignum inueneris, non mihi, sed Deo, honorum om-  
nium largitori, qui infantium linguas solus disertas facit,  
imputes velim. Vale.